



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

Coloniae Munatianæ, 1665

2 Pro propria valet ecclesia quis testificari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

CAUSA XIV.

C. III.

De eodem.

Anonici a cuiusdam ecclesie questionem movent de pradiu: reflex ex fratribus suis producunt: negotioribus pecuniam crediderunt, ut ex eorum mercibus emolumenta acciperent.

- 1. Hic primus quartus, an licet eis sua repetere.
2. Secundo, an illi testes sint ad eundem.
3. Tertio, an illud sit usurum exigere.
4. Quarto, an licet clericis vel laicis a qualibet usuras experere.
5. Quinto, an elemosina de usuris fieri possunt.
6. Sexto, an usurarii penitentiam agere valeant, nisi, quod male acciperent, restituant.

QVÆSTIO I.

Quid autem sua repetere non possunt, facile videtur posse probari. Aut enim Dominus in Evangelio: b [Si vis perfectus esse, vende & vende omnia que habes, & da pauperibus] ...

C. I. ¶ Pro rebus transitoriis Episcopos provocatus non litiget.

In concilio Carthagenensi IV. cap. 19. Episcopus nec provocatus pro rebus transitoriis litiget.

Quæ generaliter perfectus prohibetur in iudicio contendere, non quod ista non licet stare coram iudice. Hic ita respondendum. Prohibetur perfectus in iudicio stare, captando lucrum, sed non evadendo damnatum. Vel aliter. Aliud est sua possidere: aliud est eam procuratorem esse. Canonici non possident sua: quia non dubitant non sibi abici. Vivunt enim rebus ecclesie, non ut sua sita acquirant ad dispensationem sibi crediti. Unde Prosper in lib. de vita contemplativa. [Sacerdos si cui dispensationis cura commissa sit, &c.] require in causa eius, à quo pro ingressu monasterii preces exigatur. ¶ Sicut ergo isti non sua possident; ita nec suscipiunt, sed rei ecclesie, quas non procuratorem gerunt. Similiter, quid in iudicio prohibetur contendere, sic intelligendum est. videlicet, ut non sibi stent coram iudice, sed alii. Alii autem coram iudice agunt, & pro sui iudicem interpellasse nonnullos sanctorum legimus. Hi autem non sibi stant, sed pauperibus, quorum necessitates suscipiunt: & ita non prohibentur stare coram iudice. ¶ Illud vero Evangelii. [Si quis abstulerit tibi tunicam, &c.] non est precipiens, sed exhortans.

C. II. ¶ Peccat qui ultra debitum exigit, non qui sibi debita reposcit.

Unde August. lib. 19. contra Faustum, c. 25.

Quod deberit, est benigne dimittitur, non tamen unquam reperitur. Peccat autem qui exigit ultra debitum: ideoque lex modum figens, penam talionis instituit. Sed tu eo longe es à peccato iniusti exactoris, quo omnino non exis debitum: ideoque bonus magister & ait. Qui te percussit in unam maxillam, præbe ei & alteram; præsertim ne cogamur & ipsi reddere debitum ab eo, qui nullum habet debitum.

In aliquo vetusti exemplaribus capitulum hoc conjunctionem est superius, & consuetum est ex verbis B. Augustini, lib. 19. contra Faustum, c. 25. hinc inde acceptis, & interdum etiam immutatis. Quare præstat negotium illud caput perlegere. Sic & utraque acceptis.

a. d. Clerici. b. Matth. 19. Luc. 18. Marc. 10. c. Matth. 5. d. 1. Cor. 6. e. L. 5. moral. c. 1. ad 3. c. 10b. f. Sup. 1. q. 2. sacerdos. g. L. 5. Manu. 1.

Item in lib. de sancta virginitate 1. c. 14. & 15. Visquis a præceptis non obtemperat, reus est, & debitor pœna. & paulo post. b. ¶ Præcepto Domini non obedire, peccatum est: consilio si uti nolueris, minus boni adipisceris, non mali aliquid perpetrabis. Item Hieronymus c. lib. 1. contra Iovinianum. Quod præcipitur, imperatur: quod imperatur, necesse est fieri: si non fiat, pœnam habet. ¶ Vbi consilium datur, offerentis arbitrium est: ubi præceptum, necessitas est servientis 2.

1. ¶ Virginitate] Restituta est citatio ex Polycarpo. Antea citabantur, ex sermone Domini in monte.

2. ¶ Servientis] Sequebantur hæc verba, vel obediat, vel imperantis, ut ei obediat, quæ sunt expulsa, auctoritate codicum veterum, & originalium.

QVÆSTIO II.

De eo autem, quod quartum, an de suis fratribus testes producere possint, multis auctoritatibus videtur esse prohibendum. Legi enim tam sanctorum canonum, quam secularium Principum prohibent ad versus aliquem d. testem de sua domo produci. Contra se enim quisque testari potest, pro se vero minime. Quia ergo isti producuntur, ut pro seipsis testimonium ferant. (Non enim utilitati sue ecclesie se penitus immunes arbitrantur futuros;) patet, quod eorum vox in talibus non est audienda. Sed distinctio hæc, & testium exanimatio in criminalibus causis servanda est; in civilibus autem non usquequaque. In criminali enim causa non licet testem de propria domo produci, in civili autem prælati ecclesie licet.

C. I. ¶ Clerici pro sua ecclesia testimonium ferre possunt.

Unde Paschalis II. Guadoni Archiepiscopo Viennensi, Apostolica sedis legato scribit, dicens.

Super prudentia tua plurimum admiramur, quod in negotio beati Stephani, clericorum istorum acceptare nolueris testimonium. Diversa namque sunt species causarum: nec in omnibus causis crimina agitantur. In criminalibus si liquidem, accusatorum, & testium illa distinctio observanda est, quæ in canonibus continetur; ne qui ad probationem domesticæ assumantur. Cæterum in possessionum, vel huiusmodi negotiis hi potissimum assumendi sunt, qui eadem negotia tractaverunt, de quorum auditu & visu hæsitatio esse non debeat. Si ergo iidem clerici idonei sunt ad assertionem causæ illius, nullatenus removeantur: sed sicut aliis literis deliberatum est, inter S. Ioan. & S. Stephani canonicos, his illa plenius decidatur.

Testes etiam intelligi aliter. Domestici ad probationem non admittantur, ut pro his videlicet, quorum sunt domestici, testimonium ferant. Hi autem (sicut supra de actoribus, dictum est) non pro domesticis, sed pro ea ecclesia, quæ mater est omnium pauperum, testimonium dicant. In consuetudinis autem instrumentis secularium negotiorum Prebiteri non vocentur ad testimonium: sed si casu contractus eos interfuisse contigerit, iubente Episcopo testimonium dicant.

C. II. ¶ In consuetudinis instrumentis sacerdotum ad testimonium non vocentur.

Unde in synodo habita Rome ab Eugenio Papa II. statutum est, c. 13.

Quamquam sacerdotum testimonium creditius habeatur, tamen ipsi in secularibus negotiis pro testimonio, aut consuetudinis instrumentis non rogentur: quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si autem eventus aliquo casu interfuerint, & aliquid viderint, vel audierint, ubi nullæ idoneæ secularium.

a. Polyc. lib. 1. tit. 24. b. Cap. 15. c. in vulgatis erat. Greg. in epistol. ad Iovinianum. d. alie. extraneum. e. al. distinctio. f. al. criminalibus. g. Polyc. l. 4. tit. 31.

inveniantur personæ; ne veritas occultetur, & malus ut bonus æstimeretur, in providentia proprii Episcopi sit; ut aut coram se & competentibus iudicibus, aut aliter honorificè veritatem attollant.

1 ¶ Pro testimonio] Sic est emendatum ex concilio Eugenii II. & Leonis IV. & Polycarpo. Antea enim legebatur, pro conficiendis instrumentis ad testimonium non rogentur.

2 ¶ Et si autem] In concilio ipsi, & Polycarpo legitur, si enim eventæ causæ aliquid viderint, &c.

QVÆSTIO III.

Qvod autem præter summam emolumenta scitari, sit usuras exigere, Augustini auctoritate probatur, qui in Psalmum 36. ad vers. [Tota dies] scribit, dicens.

C. I. ¶ Qui plus, quam dederit, accipit, usuras exigit.

Sed si foeneraveris homini, id est, mutuum pecuniam tuam dederis; à quo aliquid plus, quam dedisti, expectes accipere, non pecuniam solum, sed aliquid plus quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si plus, quam dedisti expectas accipere, foenerator es; & in hoc improbandus, non laudandus.

C. II. ¶ Quidquid supra datum exigitur, usura est.

Item Hieronymus super e. Ezechielem, lib. 6. ad e. 18.

Pviant à quidam usuram tantum esse in pecunia. Quod prævidens scriptura divina, omnis rei aufert superabundantiam; ut plus non recipias, quam dedisti. Item ibid. ¶ Alii pro pecunia foenerata solent munuscula accipere diversi generis; & non intelligunt usuram appellari, & superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo, quod dederint, plus acceperint.

C. III. ¶ Quidquid forti accedit, usura est.

Item Ambrosius in lib. de Tobia, c. 14.

Plerique a refugientes præcepta legis, cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum, tanquam usurarum emolumenta percipiunt. Ideo amant, quid lex s. dicat. [Neque usuram, inquit, escaram accipies, neque omnium rerum.] Item paulo post. ¶ Et cetera usura est, & vestis usura est, & quodcumque forti accedit, usura est; quod velis ei nomen imponas, usura est. Item paulo interjellit.

¶ Si quis instaurandum convivium putat, ad negotiatorem mittit, ut absynthiaci & cupellam sibi gratis deferat: ad cauponem dirigit, ut Picenum vinum, aut Tyriacum h. requirat ad lanium, ut hlam i sibi procurer, ad alium, ut poma sibi adorner.

¶ Absynthiaci] De hoc vino, quod tardam colitionem accelerat, ideò instaurandum convivium aptum est, meminit Dioscorides, lib. 3. cap. 49. Lampridius de Helio Gabalo inquit; & rosato, atque absynthio, & vulgus ad bibendum invitavit. De hoc Alcianus parer. l. 7. cap. ult.

C. IV. ¶ Quando amplius, quam debetur, exigitur usura est.

Item ex concilio Agathensi.

Usura est, ubi amplius requiritur, quam datur. Verbi gratia, si dederis solidos decem, & amplius quaesieris: vel dederis frumenti modium unum, & super aliquid exegeris.

Ecce evidenter ostenditur, quod quidquid ultra sortem exigitur, usura est.

a. al. restituerunt. b. Sent. 3. dist. 37. l. v. p. 13. c. 172. c. Et ibi gl. ord. d. Sen. ibid. l. v. p. 13. c. 18. Pann. l. 3. c. 160. e. l. v. p. 13. c. 20. f. Deut. 23. g. al. absynthiaci. h. al. thieriacum. i. al. rutivam. k. fortasse absynthiaci, aut absynthiato. l. Capit. l. 1. c. 220. Burch. l. 2. c. 126. l. v. p. 6. c. 209. Pann. l. 3. c. 161.

QVÆSTIO IV.

Qvod verò nec clericus, nec laici liceat usuras exigere, probatur auctoritate Gelasii, & aliorum.

C. I. ¶ A quibus negotiationis clerici abstineant.

Item enim Gelasius Papa, scribens Episcopis per Laticaniam & Siciliam, c. 17.

Clerici a aut ab indignis quibus noverint abstinentendum, & ab omni cujuslibet negotiationis ingenio vel cupiditate cessandum; aut in quocumque gradu sint positi, si cessare noluerint, mox à clericalibus officiis abstinere cogantur.

¶ Si cessare noluerint] Hac non sunt in epistola, ut patet referuntur sup. dist. 88. consequens, sed non sunt expuncta in glossam.

C. II. ¶ Excommunicentur ministri, qui foenerantur.

Item ex concilio Agathensi l. quod confirmavit Papa Sylvester, cap. 12.

Ministri b, qui foenerantur, placuit iuxta formam divinitus datam eos à communione abstinere.

C. III. ¶ Qui voluit esse in clero, à studio negotiationis abstineant.

Item ex concilio Tarraconensi, c. 2.

Anonum e statutus firmatus est, ut quicunque in clero esse voluerit, emendi vilius, vel vendendi carius studio non utatur. Quod certe si voluerit exerce, cohibeatur à clero.

C. IV. ¶ Alienetur à clero, usuras, aut superabundantiam exigens.

Item in concilio Martini Papa, c. 62.

Si quis oblitus timorem Domini, & sanctam scripturam, quæ dicit d. [Pecuniam suam non dedit ad usuram] post hanc cognitionem magni concilii, foeneraverit, & centenas exegerit, aut ex quolibet negotio turpe lucrum quaesierit, aut per diversas species vini, vel frugis, vel cujuslibet rei emendo, vel vendendo aliqua incrementa lusseperit, de gradu suo dejectus, alienetur habeatur à clero.

¶ Magni concilii] Sic loquitur Martinus Beatus, quoniam hanc sententiam accipit ex capite 17. concilii Nicæni, quod estatur. f. ead. c. quoniam & in duobus vetustis Gratiani exemplaribus, post hoc continuo illud subiungitur.

C. V. ¶ Pro pecunia, quam clericus mutuum dedit, iusto pretio species accipere potest.

Item ex concilio Tarraconensi, c. 3.

Si quiclericus solidum in necessitate prestaverit, hoc de vino, vel frumento accipiat, quod mercandi causa tempore statuto decretum fuisse venditum. Ceterum si speciem non habuerit necessarium, ipsam, quod dedit, sine illo augmento recipiat.

C. VI. ¶ Clericus non accipiat plus quam commodavit.

Item ex concilio Carthaginensi f. III. cap. 16.

Villus g clericorum amplius recipiat, quam cuiquam accommodaverit: si pecuniam, pecuniam accipiat; speciem eandem, quantum dederit; accipiat: & quidquid aliud tantum, quantum dederit, accipiat.

C. VII. ¶ Etiam laici usuras damnabiles est.

Item Leo Papa, epist. c. 3.

a. Dist. 88. consequens. b. præinde. l. v. p. 13. c. 21. b. De ministris. orig. l. v. p. 13. c. 10. c. Burch. l. 2. c. 122. l. v. p. 13. c. 17. p. 6. c. 197. d. f. 14. e. l. v. p. 6. c. 365. & p. 11. c. 4. Pann. l. 3. c. 159. f. In vulgari eras; Agathensi. g. Abs. l. 7. c. 173. Burch. lib. 2. c. 124. l. v. p. 6. c. 198. & p. 13. c. 9. Pann. l. 3. c. 158. Rab. p. 11. c. 32. & in concil. Aquilgr. c. 62. Polyc. l. 4. m. 31.

